

„ eius Sophronius (1) Venerabilis nullum sermonem de
 „ cætero de una sive duabus operationibus movere de-
 „ beat, sed ei sufficiat præfata cautaque ac trita San-
 „ ctorum Patrum recta traditio atque doctrina. His ita-
 „ que contentus sæpenominatus Venerabilis vir, & hæc
 „ custodire certificans, petivit nos etiam, per Episto-
 „ lam de his ei præbere responsum, quatenus hujusmo-
 „ di Epistolam, ut ait, ostendat his, qui forsitan in-
 „ terrogare eum de prædicta questione voluerint: quod
 „ & alacriter egimus. Et ille quidem in his hinc navi-
 „ gavit.

Idem ipsum de Sophronio Constantinopolim profe-
 cto, & a Sergio tam scripto, quam per Epistolam moni-
 to, ut nullus sermo de cætero de una sive duabus ope-
 rationibus moveri debeat, Honorius Papa scribit in Epi-
 stola responsiva ad eundem Sergium Patriarcham. *Scripta*
(inquit) fraternitatis (2) vestra suscepimus, per
quæ contentiones quasdam & novas vocum quæstiones co-
gnovimus introductas per Sophronium quemdam tunc Mo-
nachum, nunc vero ex auditu Episcopum Hierosolymæ ur-
bis constitutum, adversus fratrem nostrum Cyrum Alexan-
driæ Antistitem, unam operationem Domini Nostri Je-
su Christi converfis ex hæresi prædicantem. Qui denique
ad vestram fraternitatem Sophronius veniens, querelam-
que hujusmodi deponens, multiformiter eruditus, petiit de
his, quæ a vobis fuerat instructus, paginalibus sibi sylla-
bis referari, quarum literarum ad eundem Sophronium di-
rectarum suscipientes exemplar, & intuentes satis pro-
vide circumspèctæque fraternitatem vestram scripsisse, lau-
damus novitatem vocabuli auferentem, quod posset scanda-
lum simplicibus generare.

Hæc acceptis a Sergio Constantinopolitano Patriar-
 cha

(1) Quienus ex mente Combessii & Pagii, in Orient. Christ. Tom. 3. pag. 269.
 de Sophronio Constantinopolim profecto hæc habet: „ Nihil itaque contexit Sophro-
 „ nius Constantinopoli apud Sergium circa abrogationem Capituli, quod in Synodo
 „ Alexandria Cyri approbatum fuerat: jam enim in gratiam Monothelismi obstru-
 „ verat uterque mentem suam „. Sergii & Honorii Epistolæ fundent, non fuisse pro-
 „ batum Cyri Capitulum, in quo una *divinitis operatio prædicatur*. Silentium de una
 & de duabus operationibus indistinctum Sophronio placuit.

(2) Act. xxi. Synodi vi. Tom. 7. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 959.